17

COMMENTAR. XVII.

TITVLI NONNVLLI

ALLIFANI IN PRIMIS, CALATINI, SAEPINATES

RAYMVNDI GVARINI.



NEAPOLI,
EX REGIA TYPOGRAPHIA.
1840.

MONITVM.

Vulgatum iam Commentarium hoc fuerat anno superiore, curam agente viro doctissimo Collega quondam mei amantissimo, Clemente Cardinali. Sed adversa viri valetudo, quae diem illi extremam gravi cum literarum iactura indixit, fecit, ut non pauca in ipsum, typographi incuria, irrepserint, quae facile vel fame enecto stomachum facerent. Erat praeterea in eo nonnihil, cuius nos poenitebat. E re propterea visum est, illud iterum typis, cura, impendioque nostro, committere. Nec porro id sine ullo emolumento. Nam et plura huic accedunt, quae in priore frustra requiras. Vale.

§. I.

TITVLI ALLIFANI

Caeterorvm omnium praerogativa esto marmor illud de Sexto Minio Silvano, quod editum a Pistillo quidem primo fuerat, sed minus pro rei merito accurate. Quamobrem, quod nostra intererat, qui Ligurum Cornelianorum rationes curandas susceperamus, negotium iam tum datum homini amico, cui id licebat, ut de suo autographo Allifiis prostante diligentius exciperet. Factum: sed ne sic quidem collineatum, praecipue vero ad versus quintum et sextum, qui contra marmoris fidem sic excepti.

PATR . SAC . PAL . IM . QVAEST
DEFENS . RP . PRAEF .P . FRVM

Nunc tandem, data opportunitate, et ipsi per nos vidimus, et manu propria exscripsimus, quod tale ex integro est.

SEX . MINIO . *Sex* . *F*
TER . SILVANO
AED . IIVIR . QVIN
PATR . COLON . ALLIF
QVAEST . SAC . P . ALIM . QVAEST
DEFENS . RP . PRAEF . ITERVM
CVRAT . CIVITAT . ATINATIVM .
ITEM . CVRAT . LIGVRVM . COL
CORNELIANORVM '
CONTVBERNIVM . VENERIS
PATRONO . OB . MERITVM . EIVS
L . D . D . D

De marmoris aetate ante omnia statuendum, quod nonnullis dehinc illustrandis facem praefert. Sextus Minius DEFENSOR salutatur REIP. ALLIFIARVM. De munere, sive officio *Defensoris Reipublicae* hic proprie agitur, nam plures hoc titulo passim condecoratos a privatis, qua historicis, qua oratoribus in primis, ecquem lateat? Jamvero *Defensores reipublicae* priore sensu accepti primum instituti occurrerent a Valentiniano, et Valente Imperatoribus, si Everardo Ottoni fides, quem tamen in errorem pertraxit Gothofredi locus (1) male ab ipso intellectus. *Defensores* enim *reip.* longe ante saec. IV. obviam se dant luculentissime. Talis *M. Po-*

(1) Lib. I Cod. Th. de Med. et Pr.

blicius, Trib. Sab. Defensor reip. Auximensis, qui idem *Flamen D. Flavii* salutatur (1). Talis *L. Casurius Cluv. Speculator. Q. Arc. pub. pecun. alimentar. Defensor reipub.*, qui ad aer. vulg. sec. II referendus. Similique officio functus *C. Marius* R. C. *civitatis, et vicinar. urb. probatiss. Defensor* (2). Defensores autem in hoc a Patronis differre arbitror, quod hi honoris praecipue, auctoritatisque gratia, illi officii munere praesto reipublicae erant.

Titulus mere honorarius est, honoresque in eo recensiti, ad unum omnes, municipales. Qua de causa Minium Silvanum et municipem habeo, et civem Allifanum. Qui patriae suae ad coloniae fastigium iam dudum evectae et Quaestor fuit, et Aedilis, et Duumvir I. D., et Quinquennalis, et Patronus denique. At cum patronorum ordini Clarissimatus adiungatur, uti ex tabula aenea Canusina celeberrima, sciscitabitur quispiam fortasse, eccur Minius V. C. minime dicatur? At quantum repetere memoria possum, neminem sive Coloniae, sive Municipii patronum dictum memini, hoc nomine solum, virum clarissimum. Honor itaque huiusmodi, ut mihi persuasum est, Ordini patronorum universo, non patrono cuivis, seorsum ab Ordine, habebatur. Quid Quaestoris huius proprium

(1) Grut. pag. 455 n. 2.
(2) Pag. 388 n. 4.

fuerit, quo a Quaestoribus caeteris secernebatur, paucis expediendum, qua in re multa turbat Otto, copiose magis, quam ακριβεστερως disputando. Nam et Quaestorem alimoniarum cum Quaestore annonae, vel Aerarii confundere videtur, quae munera toto inter se caelo differunt; etsi Quaesturae *aerarii* addita interdum occurrat Quaestura *alimoniarum*, ut in L. Pompeio Herenniano, qui *Quaestor* dictus *aerarii publici, et alimentorum* (1). Quaestoris igitur erat, debitam Reipublicae pecuniam conquirere aerario inferendam, qui Romae potissimum, κατ' εξοχην Quaestor sine additamento alio audiebat, in Municipiis autem, Coloniisque haud raro appellatus *Quaestor pecuniae publicae* (2), quo ab aliis Quaestoribus, quorum longissima series, distingueretur. Nihil Quaestori huic commune cum Quaestore annonae, cuius erat, annonam ad populi sustentationem comparare. Fortasse qui in Municipiis interdum occurrunt, IIIviri *Aediles Cereales*, ii proprie fuere, quibus cura demandata frumenti populo dandi dividundi erat. Nec ab Aedilibus huiusmodi Cerealibus, si rem spectes, valde diversos censeo, qui *Aediles annonae* vocabantur. Talis inter caeteros M. ille Lepidius Nepos, Ceretanus,

(1) *Sito dell' antica città d' Industria* fac. 145 et T. I. delle Simb. let. del Gori.

(2) Vid. Cremon. lit. pag. 18 Ric. città d' Eclano e p. 110. Grut. pag. 112.

Aedilis annonae (1), qui tamen, sedulo secernendus ab *Aedili* tabulae eiusdem *Iuredicundo*, non *Juridico*, ut male Everardus contra Tabulae fidem. Aedili enim huic alter a Dictatore locus attribuitur, quocum una et Ceretanos Decuriones corrogat. Sed Aediles huiusmodi ideo *Juridicos* dictos contendit Otto in Municipiis, ut intelligeretur, tantumdem hos in Municipiis fuisse, ac Romae Aediles Curules, quos et ipse *Aediles Curiales* appellat, Reinesiano titulo (2) deceptus, qui sic habet: C. SEPTIMIVS. C. F. LIBO. AED. SCR. AED. CVR. Septimius enim non Aedilis Curialis est dicendus, quod Ottoni in mentem venit, sed Aedilis, qui ante fuerat Scriba Aediliciae Curiae, ut ille apud Marinium (3) IVRISPRVDENS. SCRIB. AED. CVR. Nec mihi probatur, quod factum nuper video a viro eruditissimo, eodemque amicissimo, qui Reinesianam allatam τὴν περιοχὴν sic reddit: *Aedilicius Scriba Aediliciae Curiae*; quasi ad id minime satis fuisset dicere: *Scrib. aed. cur.* Quaenam porro verecundia est, hominem cogitare, qui ante Scriba Aedilicius fuisset, hunc postea factum Aedilem? Ad Ottonem nunc redeo, qui Aediles quosdam Alimentarios comminiscitur, quos

---

(1) Pag. 214 n. 10.
(2) Al. VI. n. 55.
(3) Iscr. Alb. facc. 143.

nullos agnosco. Nam qui illi ex Grutero (1) est *Aedilis alimentarius*, hic fuit Aedilis, qui postea Quaestor alimoniarum. Lapis hic est, nulloque eget interprete.

L. Acutio
L. F.
Fab. Primo
Equo. Pub
IIvir. I. D
Aedil. Q. Alim
Flam. Divi. Juli
D. D

His expeditis, ad Quaestorem alimoniarum accedimus, cuius partes erant sine dubio, pecuniam, reditusve caeteros conquirere, quae a Traiano primum, deinde ab Hadriano, Antonino, M. Aurelio, et Severo, Imperatoribus, in puerorum, puellarumque sustentationem fuerant assignata, qui nati parentibus egestosis publico sumptu forent alendi. Notatuque dignum, Quaesturam hanc, qua Minius Silvanus fuit ornatus, in marmore Allifano dici *sacrae pecuniae alimoniarum*.

Scholae, sive officio alimoniarum, praeter Quaestorem, sui erant *Tabularii*, sive *Rationales*. Talis *Liberalis* ille Sipontinus, qui *egit rationem*

(1) Pag. 109. n. 9.

alimentariam Praefectorum , de quo erudite admodum , accuratissimeque nuper collega noster Augustinus Gervasius (1). E quibus aperte constat, Rationalium munus aut κατα βιον , aut saltem diuturnius fuisse , prae Praefectorum munere : nam Liberalis dicitur *sub cura Praefectorum egisse rationem alimentariam*, quod officii , munerisve naturam consideranti minime mirandum. Sed et Scholae alimoniarum , quemadmodum et annonae, suos adfuisse et *Tabellarios* , sive nuntios , et *Dispensatores* , fere nullus dubito , utpote quibus carere haec minime potuerit , etsi nullum pro praesenti suppetat exemplum.

Atqui hi omnes sub cura erant Praefectorum , qui primas in re alimentaria sibi partes vindicabant , pro suis quisque regionibus , quae vias publicas attinebant , quarum ipsis cura fuerat commissa. Hi porro *Praefecti* primitus *Procuratores*, *Curatoresve* alimoniarum nuncupati videntur. Sic L . Didius Marinus *Procurator alimentorum per Transpadum*, *Histriam* , *et Liburniam* (2). Ciet et Muratorius (3) *Procuratorem alim. viae Flaminiae*. Refert et Gudius (4) *Curatorem viarum Tiburtinae* , *Valeriae* , *et Alimoniarum*, ne singula corradam , quae passim obviant.

(1) Osserv. sopra una Iscrizione Sipontina.

(2) Grut. pag. 402 n. 2.

(3) Pag. 756 n. 4.

(4) Pag. 134 n. 5.

Unicus pro Schola quaque, sive officio alimoniarum, *Procurator*, aut *Curator*, *Praefectusve*, quae omnia unius eiusdemque rei τα συνονύμα. Quod ideo dico, ut ne cuipiam fucum faciat titulus Aeclanensis, qui de Praefecto est alimoniarum, de quo agimus, et quem huic iterato recitare, minime pigeat.

L. Secundus. L. F. Cor
Crescens
II. vir. Praef. alimon
Proc. Apuliae. et. Lucan
Statuam. Mercuri. ob
Honorem. Quinq. posuit
In. cuius. dedic. Decur. sing....
Et. populo. viritim. denaria
Sing. ded
L. D. D. D

Nihil enim ad lin. 3 *Duumviro*, cui I. D. subaudiendum sine dubio, cum Praefectura alimoniarum, quam mihi persuasum est, L. Secundo obtigisse per Apuliam, Lucaniamque, quas procurabat. Id evidenter emergit ex honore Quinquennalitatis, cui Duoviratus I. D. praeiverat. De denariis singulis Decurionibus, populoque viritim datis sic Plinius (1): *Qui opus publicum dedicant, solent totam bulem, atque etiam e plebe, non exi-*

(1) Lib. X pag. 117.

guum numerum vocare, binosque denarios, aut singulos dare. Quae quidem haud modica largitio, si populi Aeclanensis frequentissimi ratio habeatur. Sed tamen mihi minus probabile fit, ne dicam incredibile videtur, Decurionibus singulis, ut cuivis e popello, denarios singulos datos. Quamobrem fere certum habeo, ad finem versus septimi, aciem effugisse exscribentis notam aliquam numericam post vocem *sing.* Paucula adhuc de alimoniarum cura, quae non dubito, quin novitatis speciem quamdam sit eruditorum auribus illatura.

Alimoniarum cura in Urbe Sacra, seculo quarto declinante, sub Miniciae Correctura fuit comprehensa, idque, nisi meridiana in luce caecutio, liquido adparet in titulo Aeclanensi praeclaro, qui perennat adhuc in cippo, qui relatus olim a Grutero, curas nostras bis iterumque sibi vindicavit, cum de patriis rebus agere propositum fuit. Sic igitur in eo de Annio Antiocho, viro perfectissimo:

CORR. MI. ET. AL. SENA
V. S

Quae sane verba diu me incertum animi, suspensumque detinuere. Et primo quidem, contra Scaligerum, Joh. Antonii Cassitti, V. C. interpretationi acquieveram, quae est huiusmodi: *Corrector Miniciae, et Allectus Senator Urbis sacrae.* Sed intellexi statim, redeundum mihi in gratiam cum Scaligero esse, qui τὸ AL. pro *Alimonia* accipie-

bat. Nam si de ALLECTO dici voluisset, scribendum videbatur ALL. cum liquida duplicata, non AL cum L simplici. Ad haec: diversa munera, diversisque gesta temporibus ἀσυνδέτως recenseri consueverunt. Ergo τὸ ET, AL. coniungendum videtur cum MI. i. e. *Miniciae*, ut sint munera duo, sed tamen ab eodem gesta coniunctim, et eodem tempore. Sic: *Cos. aquarum, et Miniciae*. Et *Curator. alvei Tiberis, et Riparum, et Cloacarum*, et quae quis fando enumeret? Cumque Quaesturae aerarii addita interdum videatur Quaestura alimoniarum, ut supra est observatum, cur non et *Correcturae Miniciae* accedere *alimoniarum cura* poterat, sub uno *Correctoris* nomine; quod Romae Annio contigit, ut ex cippo Aeclanensi colligi datur? Et Miniciae quidem, quae frumentaria dicebatur, curam in populi annona procuranda positam, mihi libenter persuaserim; alimoniarum autem in puerorum, puellarumque comparandis alimentis, qui Romae degebant. Caetera nunc Allifani cippi prosequamur.

PRAEF. ITERVM. Quaenam iterata haec Minii Silvani Praefectura? Cave, ut de illa cogites qua multatos olim Allifanos fuisse, tradit Festus (1), cum Samnitium oppidis bene multis, qui ad Hannibalem defecerant. Quandoquidem Allifanis, communicata per legem Iuliam Italiae universae civi-

(1) Pag. 237.

tate , iam dudum Praefecturae huius iugum excusserant , oppido ad Coloniae dignitatem evecto, de quo diserte Frontinus (1): *Allife . Oppidum . Muro ductum . Ager eius, lege* IIIviral*i est assignatus*. Legem porro IIIviralem subaudi *Reip. constituendae* , assignatique agri nomine veri nominis Coloniam intellige , quod ipsum, de quo agitur marmor Allifanum exerta voce praedicat. Scio, ut id obiter tangam , Everardo nostro (2) placuisse Praefecturas aliquas aliquantis per protrahere, etiam post latam legem Iuliam hoc sensu, ut Municipes contenti iure suffragii , suis interim carerent et Magistratibus , et Curia. Quod profecto duriusculum. Eccui enim credibile, Municipes romana iam auctos civitate , tantum concoquere dedecus potuisse? Nec moror loca quaedam , Tullii in primis in hanc rem congesta , quae crude satis ab Ottone accepta, ius est molliuscule interpretari pro fine Arpinati oratori proposito. *Praefectum* igitur , de quo quaerimus Minii nomine , illum sine cunctatione aio , qui Iuri dicundo dicebatur. Sed hic bualis , et quotuplex fuerit , quidve tum a IIviris I. D. , tum inter se differrent, operae pretium facturi videmur , si paucis edisseramus , quod a nemine factum, aut certe factum ignoramus.

---

(1) Goes. pag. 109.
(2) De Aedil. Cap. VIII.

Praefectus I. D. in coloniis, municipiisve, idem, qui Romae Consul suffectus. Sufficiebatur enim IIviro I. D; qui sive voluntaria abdicatione, sive morte naturali, civilive, de magistratu decedebat. Licuit hoc in primis expiscari e titulis Pompeiorum nonnullis, in quibus, deraso ex industria IIviri ordinarii nomine, incedebat post IIvirum alterum superstitem Praefectus I. D; de quo loquimur. Adeo ex literatis quoque lituris est aliquid consideranti proficere, quod incuriosos sine foenore praetereat. Huius generis recensiti aliqui Pompeiorum Praefecti, de quibus loc. cit. Huius generis iterata Minii Silvani Praefectura intelligenda; quibus et admetiri placet hunc marmoris Atestini Praefectum, qui a Grutero affertur (1):

T. Annius. P. F
Fab. Secundus
Trib. Mil. Praef
I. D. Cur. Aer
T. F. I

Atque hi Praefecti passim vocitati, sine additamento I. D.: quasi per antonomasiam sic nuncupati, ut et IIviri, quibus sufficiebantur.

---

(1) Pag. 334 n. 8.

Minime confundendi hi *Praefecti iur. dic.* cum *Praefectis C. Caesaris*. Priores enim nullius vice fungebantur, cum iam IIviri ordinarii de magistratu decessissent. At posteriores vices agebant C. Caesaris IIviratum in Colonia, Municipiove agentis, cum ipse interim Romae degeret. Inde mihi prope certum est, ut si forte Caesar Municipio, Coloniaeve adfuisset, ubi IIviratum agebat, nullus Praefecto eius locus esset futurus pro munere IIvirali. Talis anno V. C. 787. pro C. Caesare Caligula Pompeiis extitit Praefectus M. Epidius Lucretius Flaccus, de quo abunde alibi per nos (1) est commemoratum. Sic et suus Traiano occurrit Praef. I. D. (2), et Tiberio, et Neroni cum Druso, et Ti. Claudio sui Quinq. Praef.(3).

Nec Pompeiis dumtaxat Caligula, cum adhuc Caesar esset, IIvirali ornatus est dignitate, sed Iliae etiam in Hispania, quod ipse munus gessit per P. Aelium Fabianum, patrem, quemadmodum ex hoc Gruteri (4) elogio constat, quod heic afferre placet. Nec enim, prae vulgatis, protritisque, nova et inedita magis delectant, si quando ex illis novum aliquid, inobservatumque datur exsculpi.

(1) Comm. VI. pag. 345.
(2) Murat. 680. 6. et 1096. 3.
(3) Id. 1098. 3. et 491. 10.
(4) Pag. 345. 6.

P. Aelio. P. F. Fabiano
Patri. Aed. IIviro
Praef. C. Cesaris
Praef. iterum. Pont
Sacrorum. Flameni. sic
Divi. Augusti

Duplicis itaque huius Praefecturae, de qua institutus sermo est, C. Aelius Fabianus in se uno refert exemplum. Nam Praefectus fuit C. Caesaris Caligulae, et iterato etiam Praefectus I. D. Agunti quoque in Norico C. Trebonius Faustus, et IIvir salutatur, et Praefectus I. D. Praefecto utrique hoc praeterea commune, ut alterum a IIviro ordinario sibi locum vindicaret, ut saepiuscule in Pompeiorum sacris est adnotatum (1), quae fortasse minutiora quibusdam videri queant, quos sapere modo suo sinemus, si et nos desipere modo nostro ipsi sinant. Sed de cippo Allifano plusquam satis, quod minime suspicabamur. Sexto itaque Minio, Patrono suo, viro pro municipali modulo sat πολυθρυλλητῳ, qui et Atinatium, et Ligurum Corneliianorum etiam curam egit, contubernium Veneris Statuam, ut mihi ex cippo inspecto persuasum est, ponendam censuit, loco, ut moris erat, ad id dato, Decurionum decreto.

(1) Vid. Comm. VII. pag. 12.

Quod Allifanos dixi Terentinae Tribui fuisse adscriptos, id pluribus possem confirmare, si necessarium putarem. Consulatur titulus Allifanus apud Gruterum (1), quo cietur C. Naevoleius Rufus Tribu Terentina, cui, caeteris omissis, suffragatur hic fundi eiusdem:

Sontius. L. f
Ter. Cimber
Trib. Milit

§. II.

De dvplici Annii Antiochi Correctvra, aliisqve ex occasione oblatis.

Primus, qui de Annii Antiochi Correctura nobis olim occurrit Cippus marmoreus, fundi Aeclanensis est, ab Aldo iam dudum, Grutero, Fleetvvodo, et a Lupulo nuperrime recitatus. Mirabellae adhuc integerrimus publice prostat, et per nosmet ad fastidium usque perlectus, diligentissimeque exceptus non sine Commentarioli cuiuscumque auctario (2). Praestat, illum lectorum oculis iterum subiicere, qui huiusmodi est:

(1) Pag. 421 n. 9.

(2) Ric. sull' antica città di Eclano facc. 124 e seg.

ORBEM . TERRAE
ROMANO . NOMIN
I . SVBIVGANTI
DOMINO . NOSTRO
FE sic CONSTANTIO . PIO
FELICIS . IMPER
AVG . AVG
ANNIVS . ANTIO
CHVS . V . P . CORR
MI . ET . AL . SENA
V . S

Ad voc. *Sena.* v. penultimae literae N, et A cubant in nexu.

Constantius hic, cui ab Annio Antiocho, Miniciae Correctore, titulus inscribitur, sine haesitatione filius extitit Constantini Magni, cuius a vestigiis deflexisse, Christianorum semper dolebit res publica. Constantino Magno tres superfuere nati, Constantinus videlicet, qui maior natu; Constans; et Constantius, qui natu minimus, quos inter, Magni testamento, sic tripartitum imperium. Constantino Galliae in primis cum Hispania, Britanniaque contigere. Constanti Italia cum Africa, Sicilia, Illyrico, Dalmatia, Achaia, Graeciaque universa. Constantio demum Thracia, Asia minor, Syria, Mesopotamia, et Aegyptus. At Constantinus sorte sua minime contentus, Constanti fratri cum

bellum intulisset, Aquileiae per imprudentiam, ex nimia fiducia, occisus est anno aer. vulg. 343. Qua clade, imperii sui pars in Constantis ditionem cessit. Sed nec Constantis constans felicitas. Nam Crespii, et Marcellini coniuratione, an. 353. de medio sublatus est, translatis in Magnentium imperii insignibus. Acerrime ad Mursam cum Magnentio conflictum a Constantio est, quo fratris sui caedem, inlatamque imperio iniuriam ulcisceretur. Conflictu minor Magnentius, qui denique post casus varios, desperatis omnibus, sibimet manus intulit. His confectis, romani imperii totius summa, arbitriumque uni Constantio, de quo heic agitur, sponte sua inclinata concessere.

Annius itaque Antiochus, qui hoc tempore Miniciae, Alimentorumque Correcturam Romae agebat, Imperatoris Constantii victoriae, bonoque eventui gratulaturus, statuam, ut puto, eidem ponendam curavit Aeclani, cuius una superest basis cum titulo supra commemorato. Quae omnia, pronum est intelligere, intra an. 354. contineri oportuisse, et Constantium iure Dominum consalutatum, qui *orbem terrae romano nomini subiugaverat.* Indeque etiam strata via est, nisi fallor, ad vim assequendam formulae marmoris prorsus novae, insolentisque: AVG. AVG. Quid hoc? erat enimvero Constantius ante id temporis et Romanus Imperator: sed non unus tamen, vivo adhuc Constante fratre, Magnentioque multo magis, imperium per vim,

proditionemque affectante. Quibus denique mortuis, nova veluti accessione conduplicatum Constantio imperium, et perduellionis etiam pernicie confirmatum est. Formula itaque AVG. AVG. sine dubio tantumdem sonat, ac *bis Augustus*, in eum plane sensum, quem planum historica fides facit.

In eamdem sententiam, iisdem fere verbis, commonstratum nunc mihi a Cl. Coll. nostro Avellinio est marmor aliud Musei Borbonici, quod sic habet:

ORBEM . TERRAE
ROMANO . NOMI
NI . SVBIVGANTI
DOMINO . NOSTRO
FL . CONSTANTIO
PIO . FELICI . SEMPER
AVG . AVG
ANNIVS . ANTIO
c. HVS . V . P . CORR
ap . ET . CAL . SEM
n . S

Alterum hoc marmor unde huc advectum, ignoro; non dubito tamen, quin Apulae, Calabraeve originis fuerit, quarum provinciarum correcturam gestam ab Antiocho fuisse, ex lin. marmoris penultima evidens est. Sed Miniciae quoque, et Alimentorum idem Antiochus correcturam gessit, ut ex

cippo aeclanensi huius germano sine ulla dubitatione: quae si Apuliae, Calabriaeque Correcturae praeivit, titulum aeclanensem huic anteivisse, necesse est, consignandumque ad an. 353. uti supra coniecimus, quo posito, Musei marmor ad an. insequentem est referendum. Sed erit fortasse, cui aliter hac in re inire rationes placeat, et qui ab Antiocho contendat Apuliae, Calabriaeque prius Correcturam gestam, quam Miniciae, et Alimentorum, quocum minime confligendum mihi esse arbitror, si modo id mihi assentiatur, marmoris utriusque aetatem, nec ultra an. 353. protendendam, nec citra 354 retrahi iure posse. Praecipua marmoris utriusque differentia in duplici Antiochi Correctura posita est. Est aliquid, quod alterutrum alterutri marmor debet. Nam quod in aeclanensi ad lin. 5. scalptoris incuria est FE, recte in altero est FL. At vicissim huius lacunae, quae in tribus lineis postremis incurrunt, aeclanensis praecipue subsidio facillime implentur, ut per nos factum vides. Ad haec illud minime praetereundum, quod nunc in cippo Musei nostri videtur SEM, in cippo aeclanensi nitidissimo, et integerrimo fuisse SENA.

Sed ecce de Cannarum ruderibus titulus alter, cuius idem Antiochus auctor, quo exposito, licebit de accurata singulorum aetate statuere. Titulus hic est:

NOBILISS . CAES
DN . FL . IVLIANO
ANNIVS . ANTIOCHVS
V . P . CORRECTOR
D . P . E

Ut a Constantio inire gratiam sategit Antiochus duplici titulo, de quibus hactenus, occasione arrepta a geminato, confirmatoque illius imperio, sic Iulianum sibi conciliare studet, cum Caesar fuit renuntiatus. Id vero factum a Constantio an. 355. Ad hunc igitur annum referri aequum est titulum hunc Cannensem, ne si per negligentiam serius hoc defunctus officio fuisset Antiochus, illud ipsi a Iuliano potuisset obtrudi, quod ante Tiberius Iliensibus, qui nonnisi multis post annis se convenerant de Germanici morte condolituri. Atqui hoc tempore Antiochus, et quidem in cippo Apulo, *Corrector* V. P. nuncupatur. Apuliae igitur, Calabriaeque, ut in marmore Borbonico paullo ante memorato. Miniciae idcirco, alimentorumque correcturam ante gesserat Antiochus, quam Apuliae, Calabriaeque Corrector processisset. Titulus ergo Aeclanensis an. 353 caeteris omnibus tempore praeivit. Proxime sequitur cippus Regii Musei. Agmen claudit Cannensis postremo loco illustratus. Siglas D. P. E. sic accipio: *De proprio erexit*, deque statua, vel signo habeo. Sed forte E pro S, quo in casu erit; *de pec. sua.*

De Correctura Miniciae, et Alimentorum haec statui partim certa, partim probabilia admodum, posse videntur. Nemo inficias ibit, 1. munus hoc intra unius Urbis sacrae ambitum olim contentum fuisse, adeoque urbana inter munera recensendum. 2. Qui munere hoc fungebantur, interdum Consulares, alias Procuratores, Praefectos, Correctoresve nuncupatos, quorum curae ab Augusto, pro singulis regionibus, uti et caeterae huiusmodi, primitus fuere institutae. 3. Correctorem denique Miniciae, et Alimentorum non alium exstitisse a Praefecto *annonae*, et *alimentorum*, de qua voce posteriori satis alibi per nos quaesitum est, ne actum agamus. Nihil enim moror incertos, temporariosq. Praef. annonae, qui ante Augusti tempora occurrunt. Sed ad Correcturam quod attinet Apuliae, et Calabriae, quo eum tempore gessit Antiochus, nemini dubium, ordinariis eam esse magistratibus accensendam, quod Constantini Imperatoris Constitutionem consequitur. Negat enim Maffeius, qua *Consulares*, qua *Correctores*, ante Constantini tempora, magistratus fuisse ordinarios de quo consule Morcellium (1).

Qui sequitur, titulus, facile editus, nihil cum his commune habet. Referendum tamen censuimus, quod Cannarum quoque fundus est, uti duo priores proxime relati.

---

(1) De Stil. pag. 83.

IMP . CAESAR
DIVI : NERVAE . F
NERVA . TRAIANVS
AVG . GERM . DACIC
PONT . MAX . TRIB . POT
XIII . IMP . VI . COS . V
P . P
VIAM . A . BENEVENTO
BRENDVSIVM . PECVN
SVA . FECIT

Refer ad an. aer. vulg. 103, quo anno Traianus processit Consul quintum. Ad Allifanas nunc rationes redeo.

Qui sequitur, et vidi ipse, et me coram, egerendum curavi, et manu propria descripsi, quocirca et ineditum reputo.

L. AEDIVS. L. L
OPTATVS. AVG
Q. AVG. ALLIFIIS
SIBI ET
METHE LIBER
NATISQVE. SVIS
V. F

Refero ad monumenta privata, idest certis dum-

taxat personis eodem inferendis (1). Nulla coniugii iniecta mentio. *Methe* idcirco *Aedii* mera Liberta habenda, cuius et natis Aedius sepulcri ius elargitur. Gentis Aediae apud Gruterum (2) occurrit *Aedia Mneste*, coniux Manilii Allifeni, qui sine dubio Allifanus. Constat igitur recta vocis Allifiarum ἡ ορθογραφια, quae et adspiratione multanda est, et cum duplici L scribenda. Constat item, *Aedios*, cuius gentis infrequens commemoratio, Allifias incoluisse. L. autem Aedius Optatus fuit Allifanus Augustalis, et Octavii Augusti Quaestor pro rebus suis Allifanis.

Q. AVG. in hoc alio titulo Allifano occurrit apud Gruter. (3).

C. Rufelleio
Entelli. Lib
Q. Aug.
Successori. Aug
Rufelleius. Iuturus
Colliberto. Optimo
Et. sibi

Successori Liberti cognomen extra controver-

---

(1) Comm. X.
(2) Pag. 750. n. 4.
(3) Pag. 464. n. 4.

siam. Merito ergo vapulat Reinesius, qui τῳ *Successori* substituit *Succonditori*, quasi si de *Aurigarum officio* ageretur. Pessime alii (1) *Successorem* interpretantur, qui *successurus Augustali* foret, qui primus loco suo cederet. Sed redeo ad voces AVG. Q. AVG. quas reddi oportere *Augustalis*, *Quaestor Augusti*, uti per nos factum, patet ex hoc alio marmore item Allifano (2);

C. Purellius. Papia. Aug.
Et. Quaestor. Aug. Allifiis. sibi
Et. C. Atilio. Natali. Aug. et. Q. Aug
Allifiis. et. Atiliae. Iarinae. Concubinae
Et. C. Atilio. Quartioni. amico
H. M. H. N. S.

Piget, το PAPIA hic pro gentis nomine fuisse Ioh. Franc. Truttae, viro de Allifanis antiquitatibus optime merito. Est autem nomen Tribus, cum marmor de gente Purellia, non Papia, agat. In alio marmore item Allifano (3) cietur *Aedius Serviliae F. L. Epaphra. Aug. Allifiis.* Id est: *Serviliae Filiae Libertus.*

(1) Trutta Antich. Alifanae facc. 121.
(2) Pag. 160. n. 9.

His universis aetate praeit hoc, quod ad diem decimam octavam mensis Iulii an. 1830 detectum fuit ad latus portae Allifanae, cuius etiamnum *Romanae* nomen circumfertur.

T . FVTIVS
PRAEFECTVS
CASINATVM

Praefecturamque hanc Casinatum, quam marmori huic, quoad scio, unice debemus, strictim accipio, deque illarum genere, quo Roma ad Casinates, Praetoris urbani arbitrio, quod probabilius censeo, missus Praefectus. Illudque amplius addiderim, Titum hunc Futium, non sine probabili ratione, agnatis posse accenseri Quinti illius Futii; qui anno V. C. 814 Consul alter suffectus prodiit cum Q. (non P., ut male Iansonius) Calvisio Rusone, quod iam pridem observandum se se nobis dedit e Pompeiano lapide (1) de *sacrorum* genere.

Iam alio festinantem revocant tituli duo honorarii, item Allifani nobilissimi, de Gente *Acilia*, quorum integer unus, mancus alter, pessimeque, ut circumfertur, exceptus. Atqui dignus uterque, in quem operae nonnihil collocetur, eoque libentius, quod ex integro infirmum sanandi, restituendique spes fere certa affulget. Prioris το αὐτογραφον pa-

(1) Com. VII. pag. 27.

rieti insertum horti sui domestici, Pedemontii, adservari, profitebatur iam dudum V. C. Ioh. Franc. Trutta, a quo sic descriptum (1) exscribimus:

ACILIAE . M*l* . F
MANLIOLAE . C . F
M*l* . ACILI . GLABRION
SEN . COS . PRONEPTI
M*l* · ACILI . GLAARIONIS
COS . II . NEPTI
M*l* . ACILI . FAVSTINI
COS . FILIAE
ORDO . DECVRION

Dederat e Smetio Gruterus (2): sed ad v. 2 pro *Manliolae* habet *Maniliolae*. Anne olim I implicita cum N, cuius linea dexterior superne protenta temporis iniuria evanuit? Sit quodcumque, id cognominis adscitum *Aciliae* arbitror a matre, sive *Manlia*, sive *Manilia*. Eadem ab Ordine Decurionum consalutatur *Clarissima Femina*: haec enim vis initialium C. F., quod illi commune cum *Acilia* alia nepte sua, de qua post.

Aciliae, de qua nunc loquimur, agnati sic descendendo enumerantur. Nam

---

(1) Antich. Allif. Diss. XIII.

(2) Pag. 344. n. 4.

1. Ea *proneptis Manii Acilii Senioris*, qui an. V. C. 877. Aer. Vulg. 124. Consul processit cum *C. Bellicio Torquato*.

2. *Neptis Manii Acilii Glabrionis*, qui an. V. C. 939. Aer. Vulg. 186. Consul iterum creatus cum *Aurelio Commodo*. Sed de priore Glabrionis eiusdem Consulatu silent Fasti, quem idcirco *Suffectum*, non *Ordinarium* fuisse, reor.

3. Demum *Filia Manii Acilii Faustini*, quem Fastographi an. V. C. 963. Aer. Vulg. 210. Consulem cient cum *C. Caesonio Macro* Collega. Medicae nunc adhibendae manus alteri, qui sequitur, de quo haec praemonenda.

Refert Gruterus e Smetio (1). A Vulpio acceptum dat Muratorius (2). Affert Pratillius (3). Mendose omnes. Nec prospere magis recitat demum Trutta ipse, qui ex veteri se illum MSS. excerpsisse, asserit in hunc tenorem;

(1) Pag. 844. n. 1.
(2) Pag. 2020.
(3) *Via Appia*.

ACILIAE . GAVINIAE
PRAESTANAE
C . F
C . L . ACILI . CLEOBOLIS
FIL . MA . ACILI . FAVSTINI
COS . NEPTI . ACILI . GLA
BRIOMIS . BIS . COS . II . VIR
QQ . PRONEPTI . CLAV
DICIAE . OBOLISTENOS
NEP. . . . .

Quid monstri similius? Et tamen τo *Cleobolis*, quod ex uno Truttae MS. ad lin. 4 prodigii instar emergit, ex fumo fulgorem prodit. Reddenda siquidem est: *Glabrionis*. Ad haec: *Claudiciae Obolistenis* fiet: *Man. Acilii Glabrionis. Sen. Cos.* Quibus, quantum nostra nunc interest, nihil historicae fidei magis consentaneum. Titulus itaque hic omnis ex Orco restitutus sic deinde ad pristinam vitam revocatus incedet:

Aciliae. Gaviniae
Praestanae
F. C.
Man. *Acili.* GLaBrIOnIS
Fil. Man. Acili. Faustini
Cos. Nepti. Acili. Gla
brionis. bis. Cos. II. *vir*
QQ. *Pronepti.* Man. ACiLi
*Gla*Bri*OnIS. sen. cOs. ad
nep.*ti.* Ordo. Decurion

Aciliae huic duplex cognomen, *Gavinia*, puta, et *Praestana.* Primum fortasse a *Gavia*, seu matre, seu *gente*, e qua per adoptionem in *Aciliam* translata. Alterum fortasse desumptum a *Gaviis* cognomento. *Praestanis.* Notandum: Glabrionem bis Consulem ab Allifanis IIviratu Quinquennali condecoratum. Agnatorum in hoc epigrammate series, secus ac in praecedenti, per ascensum progreditur.

Nihil contingere miserius potest veterum literatis monumentis, quam ut ab iis excipiantur suis ex autographis, qui rerum, de quibus agitur, ieiuni omnino sunt. Eccui unquam venire in mentem poterat, ut in titulo Teatino, de quo alibi pro *Beneficiario Tribuni*, obtruderetur, *Bennaclario Tribuni?* Sed me tempus, viresque deficerent, si monstra eiusmodi, descriptorum solidissima ignorantia in apographa invecta, recensere, atque edomare, animus esset. 3

§. III.

TITVLI NONNVLLI
CALATINI, ET SAEPINATES.

Allifiis dimissis, proximam Urbem Calatiam, finitimamque petimus, uno inter se Vulturno flumine discretas, praefecturaeque olim socias. Sed Allifanorum praefectura longe acerbior, quam quae Calatinis contigit, quorum praefectus ex XXVI virum numero fuit, qui populi suffragio creabantur. Alio igitur pergenti, proxime elapso mense Octobri, omnium infaustissimo itinere, consistendum aliquantisper Calatiae fuit, qua capta occasione, ad portam ipsius borealem, quos nunc titulos recitabo, exscripsi propria manu. Quos etsi vulgatos iam liceat praesumere, quod tamen ignoro, referam nihilominus. Nam in his exponendis, sive in eadem incidam, quae dicta ab aliis sunt fortasse, sive in diversa abeam, emolumenti semper aliquid futurum erit lectori, cum gratia vel nostra, vel eorum, qui nobis praeivere in iisdem tractandis. Sed exordiorum satis. Primus occurrit ad laevam introrsus portae iam memoratae, muro paullulum a solo, insertus.

M . HERENNIVS . M . F . GALLVS
Q . VESERIVS . Q . F . DVOVIR
QVINQ
D . D . S . F . C . EIDEMQ . PROB
ARCITECTVS . HOSPES . APPIAI . SER

Sororiatur in omnibus fere cum iis, quae ad Pompeiorum theatrum tectum , amphitheatrumque adhuc perennant, ut si quis in eamdem omnes coniiciat aetatem , non is a vero multum abludat. Quale autem opus hoc Calatinorum , et publicum sane , fuerit, quod de Decurionum sententia faciundum IIviri Quinquennales curarunt, eidemque probavere , quis nunc ausit adfirmate dicere , nullo operis superstite vestigio , deque loco suo marmore iam dudum deturbato? Herennia gens, Romae fascibus Consularibus conspicua annis R. C. 661 , et 720. Et Marinius (1) praeterea L. Herennium refert L. Filium , Menenia, Consulem, de quo quaerendum Fastographis. Tibure quoque recens agnitus T. Herennius, qui Horologium Solare molitus est , quod deinde restitutum a T. Herennio, Filio, eodemque IIIIviro I. D. (2) Herennii et Pompeiis passim occurrunt , hique muneribus insignes , qui utrum cum Calatinis cognationis vinculo aliquo fue-

(1) Fr. Ar. fac. 94,
(2) Bull. Corr. Arch. VIII I. F. 1838.

sint coniuncti, temerarium puto decernere. Verum Herennium Gallum Calatinum, eiusdem et gentis extitisse, et familiae illius L. Herennii Galli, de quo commeminit Pollio, sine temeritatis nota affirmari posse, existimo. Calatinum item Herennium, hominem trinomium, romanae originis, conditionisque arbitror. *Veserium* ex adverso municipalis, quod duo tantum nomina prae se fert. Unius *Veserii Iucundiani* meminit marmor Tiburtinum a Grutero relatum (1). Quis porro *Veserios* non a Veseri, seu Oppido, seu Fluvio, seu utroque simul, nominitatos velit, quod olim positum ad Vesevi radices prope Pompeios?

Operis architectus, quae vox in marmore sua caret adspiratione, laudatur *Hospes*, qui *Appiae Servus*.

Ad laevam introrsum procedenti portae eiusdem, paucis abhinc passibus, in cippo ad parietem Protome virilis: inferne sic;

C. NVMSI . C . L . ERONIS
PATRONVS . FEC

Marmoris initio subaudi. D. M. Ne dubites, NVMSI fuisse olim Numisi, temporis iniuria, detrita parte prominentiore tertiae hastae literae M, quacum nectebatur vocalis I. Numisii, iique illu-

(1) Pag. 485. n. 8.

stres, Pompeiis frequentes, quod idcirco in mentem revoco, ut intelligatur per Oppida viciniora facile eamdem gentem potuisse prolatari. C. Numisii Liberti Patronus fuit Caius item Numisius, cuius cognomen tacitum. Plus facessit negotii hoc, quod pone sequitur:

D. M. S.
CASTRICIAE
FAVSTINAE
COIVGI. DVL
CISSIMAE
ACHILLEVS
ACT. B. M. F.

Actorem pro *Histrione* hic accipio. Nam si de *Servo actore* ageretur, eccuius *ab actis* Achilleus fuisset? Quo minus autem Achilleo servile stigma inuratur, ut prima fronte videri cuipiam possit, vetat hoc Gruteri epigramma (1), quocum conferendum, committendumque Calatinum est:

(1) Pag. 725. n. 3.

A. Castricio
Achilleo . Patri
Calciae . Isidorae
Matri .
Castriciae . Felicissim
Parentibus
Dulcissimis . et incom
parabilibus

Achilleum ergo Actorem, germanum habeo Castriciae Felicissimae, filios ambo Calciae Isidorae, et A. Castricii Achillei, cuius cognomine uno *Actor* contentus, caetera praeterit, utpote per se nota.

Et si alias vulgatum, placet hic adtexere insignem agri olim Calatini lapidem, qui in Pago Limatulae detectus, seculo decimo septimo advesperascente, prostat nunc in Museo Borbonico illuc de Museo Francisci Danielis importatus. Titulum prae se fert honorarium notilissimum, qui de *Calatiae* τῃ ορθογραφια scrupulum iniicere queat. Ecce illum:

L. PACIDEIO. L. F. L. NEP. L. PRON
TER. CARPIANO. SPL. EQ. R
MVNITO. SACERD. LANVV
PAT. MVN. CAIAT. ITEM. COL
ALLIF. PAT. ET. CVR. R. P.
ATINAT. ITEM. SAEPINATIVM
PAT. THEANENSIVM. APVLVM
DOMITIA. GALATIA. VXOR. ET
PACIDEI. MARCIA. C. F. ET CAR
PIANI. SEN. ET. IVN. FILI

Perperam Bartholomaeus Varro Ep. Caiet. TER. *Terentio* reddidit. Est autem *Trib. Terentinae* notissima breviatio. Gentis *Pacideiae* nulla apud Gruterum mentio. L. hic Pacideius videtur de gente *Carpia* in *Pacideiam* adoptione translatus, qui et *splendidus Eques romanus*, et *Sacerdos Lanuvinus*, et *patron. Municip. Calatini*, et *Coloniae Allifanae*, et *Curator* RR. PP. *Atinatium*, et *Saepinatium*, idemque Patronus *Theanensium Apulorum*, quod oppidum aliud a Theano Sidicino. Monumentum positum ab uxore Domitia Galatia, facile sic dicta a *Galatia*, nunc *le Galazze*, prope Magdalonum, et a *Carpianis* tribus, qui omnes *Pacideii* salutantur. Recteque hoc se habet pro *Carpianis*, *Seniore*, et *Iuniore*, Lucii Filiis. Verum ecquo glutine *Pacideis* etiam adiungitur *Marcia*, *Caii* (Marcii utique) *Filia*? Et hanc puto Lucii

Pacideii *natura* filiam, *adoptione* vero *filiam* C. Marcii. Vox ergo FILI, qua titulus clauditur, non unis Carpianis, Seniori, et Iuniori, coercenda, sed ad Marciam quoque hoc sensu prolatanda.

MVN. CAIAT. v. 4. sive Marmorario I exciderit pro L, sive temporis iniuria, liquescentis hasta horizontalis evanuerit, restituo CALAT. Nam quae nunc *Cajazza*, *Calatia* semper, *Caiatia* nusquam, quod memini, a veteribus dicta. Idque adeo verum, ut ἑλληνικως eadem obtineat ἡ ορθογραφια. Ita in marmore hoc Calatino notissimo, quod ipsi per nos descripsimus:

ΗΒΩΝ ΗΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ
ΘΕΩ·
ΤΑGΜΑ ΚΑΙ ΛΕΩΣ ΚΑΛΑΤΙΝΟΣ
Eboni Clarissimo
Deo
Ordo, et populus Calatinus.

§. IV.

Saepinativm titvli qvidam pecvliares.

Saepinatium, quos heic admetior, titulos, nonnullos saltem, ineditos reor. De illorum in quibusdam incerta lectione, aut erronea prorsus, nihil spondeo, nec enim ipse per me vidi; quique eos excepit, huic muneri defungendo parum sine dubio

se idoneum probat. Saepinatium Coloniae ab Imp. Claudio Nerone deductae supersunt adhuc vestigia. De ea sic Frontinus (1): *Saepinum. Oppidum. Colonia ab Imp. Claudio Nerone est deducta. Iter populo debetur pedibus* L. *Ager ejus in Centuriis Augustaeis est assignatus.* Plura inde, diversis temporibus, eruta literata monumenta, eaque insignia, quibus et haec adiiciantur.

HAELENAE MATRI
DOMINI NOSTRI
CONSTANTINI
MAXIMI . IMPERATO
RIS SEMPER AVGVSTI
ORDO ET POPVLVS
SAEPINATIVM

Paullulum a Curia procedentibus agricolis, titulus effossus, cum in eo essent, ut plumbei tubi vestigia prosequerentur. Titulus equidem pulcherrimus, et Augustaea etiam aetate dignus. Sed mendosa prorsus, minimeque probanda; ἡ *της Haelenae* ορθογραφια.

BAEBIAE . N. F.
SACERDOS

(1) Scrip. Agr. pag. 107.

Si placet *Sacerdos*, dele E a voce BAEBIAE. Si hoc posterius mavis, commutato S in T ad vocem SACERDOS.

VENERI
GENITRICI

Honorarium hoc, quod sequitur, facile ad Statuae basim, quam Saepinatium Decuriones Saturio posuere. Minus tamen prospere, quam quod par erat, videtur exceptum. Nam sic se habet :

CN . F . SATVRI
. Q . TR . PL . PP
DECVRIONES

Nam si de *Cneo Saturio Filio* ageretur dicendum videbatur : *Cn. Saturio filio.* Caeterum legi potest. *Cneo filio Saturio*, quod duo essent Cnaei Saturii, Pater , et Filius. Rectius fortasse : *Cneo* ὁλογραμματεῖ. *Saturio*, literamque Q. secundae lin. puto irrepsisse pro O. At si quis incolumem velit, *Quaestorem* illi suum relinquemus. *Saturii* cuiusdam Picentis meminit Gruterus (1).

---

(1) Pag. 465 n. 10.

D . M . S
Q . NVMMIO . RISTVFO
FILIO . CARISSIMO
VIX . ANN . I . DIEB . V
C . NVMMIVS . PATRVVS
PVERITIA . PRIVATA
PARENTES . INFELICISSIMI

RISTVFO. Corr. *Restuto*. PATRVVS lin. 4. si recta lectio est, erit cognomen, ut *Nepos*, et *Filius*, de quo ultimo cognomine dictum alibi (1), quibus addatur ex Marinio (2) *Juvenis*. Suspectum PVERITIAE nomen. Caeterum si a *Juvenco Juvencii* et *Matrii* a *Matre;* cur non et a *puero* dici *Pueritii* potuere? *Nummii* apud Gruterum (3) cum simplici M. Recta utraque ορθογραφια, ut *nummus*, et *numus*.

NERATIA . Ↄ . L . TERTIA
NERATIA . Ↄ . L
DAPNE
L . NERATIVS . AMARANTVS
NERATIAE . SEX
ISIDORAE . PATRONAE
SVAE . F

(1) Com. XIII. p. 13.
(2) Iscr. Alb. fasc. 93.
(3) Pag. 645 n. 3.

Neratia gens conspicua. Alii *Cereales Prisci*, alii *Proculi*, et *Betitii*, alii aliter cognominati. *Neratiam Isidoram patronam*, cui Libertae duae *Neratiae* parentant cum Amaranto item Liberto, et Libertinam censeo, et Sexti Neratii, coniugem. Libertinam aio, i. e. generis Libertini, quod ex cognomine *Isidorae* insinuatur, non *Libertam*, quod nil tale in marmore.

ENNIO . LETO
COMMVNI

De quo nihil aio, nihil nego, quod suspecta mihi prima linea est. Mancum, et monstro simile hoc postremum.

F . FIGVLO . FIGVLO
EX . TESTAMENTO

Legendum fortasse *L. Figidio*, vel N. *Figidio Figulo*, quae utraque gens occurrit apud Gruterum (1). Recte sapiunt, qui aiunt, vetera monumenta, vulgata quamvis, protritaque, nova fere semper contingere iis, qui per se legunt, et in illis acute cernunt. Visum tamen e re est, ea, utcumque accepimus, referre, ut si quando in illorum αυτογραφα quis oculatus offenderit, oculorum in haec aciem intentius intendat, si ita loqui fas est.

(1) Pag. 975 n. 5. et 541. n. 3.

A Nolanis iterum bonam gratiam initurus, titulum urnae cinerariae palmi fere unius adscriptùm, restituendum, explicandumque adgrediar. Sic autem ex authographo exceptum asseritur;

1.	2.
KEIMAI	ΕΣΕΙ
ΕΝΘΑΔΕ	ΚΑΘ
ΗΩΣΙ	ΕΜΕ
ΟΘΩΣ	ΚΟΚΕ
ΚΑΤΕ	ΙΑΣΤ
ΤΑΜΕ	ΚΑΙΜΤ
ΣΟΤΣΑ	ΘΤΝΑ
	ΚΟΚΕ
	ΙΑΣΤ *ωνα*
	ΑΡΑ
	ΤΑΤΑ

Quae primo sic ordinaverim, atque integrarim:

1. Κειμαι–ενθαδε–ἡ Ωσι–οτως–κατ' ετ. A. M. E–σουσα.

2. Εσεῖ–καθ'–εμε–Κοκε–ια. συ–Και Μυ-θυνα-Κοκει–ας–ὖ (ωνὰ)–αρα–τατη. Deinde omnia continenter sic reddiderim:

1. *Jaceo hic Osioto. Cum essem Anni. 1. M. 5. abii.*

2. *Veniet post me Coceia, tu et Mythyna, Coceiae neptis dilectissima.* Quae graecam olere suavitatem, nisi penitus obesae naris homo, nemo negabit.